



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 117. Sanctus Carolus a quodam hujus ordinis Religioso sclopeti ictu
petitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](#)

§. CXVII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1569.

Sanctus Carolus a quodam hujus Ordinis Religioso Sclopeti iactu petitus.

Facinoris adeo detestandi consilium quibusdam privatis suis Religiosis, quo sibi conciliaverant, manifestant, atque hujus sacrilegii executionem cuidam Religioso humiliato, nomine Hieronymo Donato Farinæ committunt. *Giuff. l. c.* *Ciacon. ibid.* *Bailllet vie des Saints* *4. Nov. t. 3.* *pag. 59.*

Hic sceleratus, ac ob vitæ licentiam ad quævis audenda proclivis pacto quadraginta aureorum pretio pollicebatur, quod Mediolanensem Archiepiscopum trucidare vellet: cum autem hæc summa in numerata pecunia præsto haud esset, sacrilega prorsus violentia a cuiusdam vicinæ Ecclesiæ thesauro eripiebatur, indeque Farina prædonum caput simul etiam vasa sacra, ac pretiosam suppellestilem suffuratus est, & pecunias ex iis haustas sibi proprias reddidit: porro hæc Ecclesia vulgo Brierrana dicebatur. Peracta hac rapina Hieronymus laicorum vestes indutus e suo monaicerio exhibat, ac quasdam viciniores Mediolanensis Ducatus urbes pervagatus in variis solutionis vitæ illecebris cuncta ex sacrilego furto corrafa abliguriebat, demum vero ad incitas redactus aliud furtum patravit,

ex

Sæcul. XVI. ex cuius pecuniis sibi duas catapultas,
A.C. 1569.

quæ vulgo Rotulæ vocantur, coenit,
ut ad exequendum parricidium iis uti
posset, facile sibi persuadens, quod tunc,
cum Cardinalis eo tempore circa juris-
dictionem cum Magistratibus con-
troversias haberet, omnes abs dubio cre-
dituri essent, necem, quam ipse infere-
parabat, a quodam ex illis fuisse illa-
tam, quibuscum Cardinalis altercaba-
tur: igitur primo Archiepiscopum in
Sancti Barnabæ Ecclesia sacris operan-
tem trucidandi consilium ceperat: cum
autem nunquam proposito ejus oppor-
tuna alluderet occasio, hoc facinus in
ipso Archipræsulis Palatio exequi sta-
tuit, haud ignarus, quod Sanctus Ca-
rolus semper unacum suis Domesticis in
suo Archiepiscopali Sacello vespertinas
preces fundere soleret: ergo januæ ap-
propinquans, & nonnisi quatuor palli-
bus distans laxata tormenti rota in San-
ctum coram Altari genusflexum plures
globos emittit. Perpetrabat nefandum
hoc facinus feria quarta Anno Christi
millesimo quingentesimo sexagesimo no-
no dimidia circiter hora post noctis ini-
tium, ubi cum Sanctus semper promo-
re suo quosdam Sacri Evangelii versus
a Musicis decantari jussisset, feralis hic
ictus eo tempore audiebatur, quo hæc

Chri-

Christi Domini verba: *Non turbetur cor vestrum, præcinebantur.* Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

§. CXVIII.

Sandi Caroli a Deo protæti firmatas in hac occasione.

Musica ob hujus ictus strepitum in-
terrupta una omnes non sine ingen-
ti pavore accurunt, solus autem Car-
dinalis nihil commotus cunctos ad sua
loca recedere jubebat, atque orationem
cum tanta animi tranquillitate, vultus-
que serenitate absolvebat, perinde ac si
nihil funesti in eum fuisset motum: un-
de Parricida e Sacello evadendi spatum
nactus, cuin nemo eum insequeretur,
comprehendi haud poterat: Sanctus ve-
ro, quamvis nullum dolorem sentiret,
se tamen letali vulnere affectum crede-
bat, eodemque momento levatis ad
cœlum oculis Deo vitam suam in fa-
crificium offerebat, grates eidem re-
pendens, quod ad defensionem justitiae
fanguinem suum profundendi occasio-
nem aquisivisset: cum autem Deus lu-
culento prodigio Famulum suum prote-
gere vellet, plumbeus globus, qui ad
dorsi spinam impingebatur, nonnisi ejus
superpelliceum nigro colore tingens ad
pedes Sancti procidebat, unica vero
minor pila vestigio pannis impresso usque
ad carnem pertingebat, quin tamen in-
tus

Giuſſ. I. 6.